



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

14 De tertiis oppositoribus eorumque admißione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

hæredem, cui prima iure defensio competeat, testamentum & eius vires absque vlla conclusione, fraude vel culpa & iniuria defensorum, ac iudicem recto iuris tramite eandem causam proprio iudicio definiturum: quæ ratione nec scientia litis noceret legatarijs in specie tradita per Iurisconsultum ibidem: sicuti contra Paulum optime probat Alex. inibi post. Angel. & Imol. in *dist. l. si per lusorio. ff. de appellat.*

CAPVT XIV.

Rursus de eadem re, ac de Tertiis Oppositoribus, quonam modo sint admittendi,

S V M M A R I A.

1. Sententia lata contra Præsentatum, electum, vel institutum: an præ iudicet præsentanti, electori, vel conferenti.
2. Intellectus c. cum olim. de caus. poss. & propriet.
3. Minor qui se liti opponit ad coadiuandum, an possit restitui in integrum ad probandum.
4. Tertius oppositor, qui ad iudicium accedit, actorem, vel reum, aut utrumq; a re pœta excluditur, non cogitur adsumere litem in statu quo versatur & tamen non potest impedire diffinitionem eius inter actorem & reum, nec differre.

Cum proxime tractauerimus interpretationem iurisconsulti in *dist. leg. saepe*. par nunc est inquirere an ex eo responso possit definiiri ea questio, quam plerique ad vnumquem videntur examinafle: quando sententia fertur aduersus beneficij ecclesiastici possessorem, super eo beneficij ex causa, quod quilibet contulerat non habuerit ius conferendi. Queritur tunc nunquid sententia lata in hac lite contra illum, cui est collatum beneficium, præiudicet illi, qui contulerat super iure conferendi: cuius causa lata fuerit & hanc sententiam præiudicare collatori quantum ad possessionem: non quoad proprietatem, si fecerit is causam hanc super eo iure tractari: conantur probare & tenere Card. per tex. ibi in *capitulo cum olim. de caus. poss. & propriet.* Imol. Panorm. numero 23. Fel. numero 11. in *capit. penult. de re iud. idem Fel. in capitulo ad petitionem de accusa. numero 18. Ang. & Alexand. in *dist. leg. saepe. numero 54. Lambert. in tract. de iure patro. libro 2. par. 1. quaestione 11. art. 9. Bald. in *leg. si sine. Cod. ad Velleia. colum. vltim.* horum vero authorum eadem est concors sententia, vt idem sit dicendum in sententia lata contra electum, vel contra præsentatum ex defectu iuris præsentandi, aut eligendi, vt præiudicet præsentanti, & eligentibus. Ita etenim præ cæteris adnotarunt Imol. Panorm. Felin. & Casar Lambertinus in præcitatis locis. Apud quos est & alia omnino recepta opinio vt è contrario sententia lata super iure eligendi, conferendi, vel præsentandi contra electorem, collatorem vel patronum, præiudicet præsentato electorem, vel ei, cui beneficium collatum fuerat. Sic sane prædicti auctores quaestionem istam definiunt autoritate gl. in *capit. no capientes. §. cæsterum. in verb. nullum præiudicium. de elect.* in 6. & in *capitulo hoc quippe. 3. quaestio. 6. verb. his amotis.* Sed & prior conclusio probatur ab his authoribus ex ratione tex. in *dist. leg. saepe.* qua in parte ponitur exemplum de creditore & debitore, vt sententia lata contra creditorem super proprietate pignoris noceat debitori scienti: quasi visus sit debitor permittere quod creditor super pignoris proprietate causam tractet. Sic etiam & in hac specie qui contulit beneficium, videtur permisisse illi, cui contulit, causam agere vel defendere super iure conferendi. Quam rationem adeo falsam esse censeo, vt plane demer, cur ea tot viris eisdemque doctissimis placuerit. Nam etsi collatio beneficij iure ipse collationis permiserit illi, cui beneficium contulit, quo ad illud beneficium, & quo ad effectum defendendi rem sibi collatam, agere, & tractare de iure conferendi: non equidem par est, nec poterit ratione persuaderi, eidem permisisse, quod de iure conferendi in vniuersum ageret, causamve de ea re tractaret: presertim quia is, cui beneficium fuit collatum, quantum ad illius defensionem primas partes à iure habet ad illius causæ defensionem & examen: cum tractetur de re, quæ ad ipsum vere pertinet nec possit collator eidem interdicere huius causæ defensionem & prosecutionem. Qua ratione, & quia in cap. supra proximo exemplum illud debitoris, & creditoris impugnavimus: non satis placet communis opinio, quam ipse falsam esse opinor etiam ex eo, quod dispar est ratio hu-**

ius quaestionis, & exempli debitore: siquidem collator beneficij non transtulit ex collatione ius cõferendi in ipsum, cui beneficium contulit: tamen si debitor in creditorem tradito pignore transtulerit rei possessionem, & ius ipsam defendendi, pro eaque agendi, *l. ferui nomine. ff. de vjucapionibus.* multo minus suffragatur communi sententiæ text. in *di. leg. saepe. ver. nam si liberrus.* propter eius verum intellectum, cuius & nos meminimus in *capitulo precedenti.* & præterea sententia lata contra libertum, etiam si iuxta communem intellectum noceat patrono scienti, id equidem præiudicium illam tantum causam quæ in iudicium deducta est, attinet, ita quidem vt illius liberi patronatus amittatur, non sic in præsentati casu: in quo agitur de iure conferendi quo ad vnum tantum beneficium, & traditur, sententiam collatori nocere in vniuersum quo ad quasi possessionem conferendi cætera beneficia. Ea vero decisio, quæ adducitur ex *capitulo cum olim.* potius est contra communem, vt inibi adnotauit Panorm. Rom. etenim Pontifex expressim asseuerat, rem inter alios actam alijs non nocere, eamque regulam aprat illi responsioni, in qua agitur de sententia lata in possessione, vt Doctor. farentur: igitur & in possessione admittenda est regula ipsa, qua ipsius responsi, & decretalis author vtitur in hunc modum, vt sententia lata inter canonicos illos, & Archidiaconum in fauorem ipsius Archidiaconi, cui episcopus dignitatem contulerat, non noceat canonicis quo ad episcopum, cum quo res acta non est. Et quamuis summus Pontifex saluam fecerit canonicis causam proprietatis: id ex eo factum est, quod consisterit ipsismet canonicis litigantibus, quasi possessionem iuris conferendi penes episcopum esse: & ideo cum ex actis visum fuerit nullum ius habere canonicos quo ad possessionem, responsum est saluam eisdem manere causam proprietatis: non tamen ex eo ipsis negatur ius agendi quo ad possessionem interdicto vnde vi, si soluerint aduersus episcopum allegare, se expoliatos possessione conferendi fuisse: quod Panorm. in *dicto capitulo. cum olim.* fateatur. Ego vero vterius animaduertendum censeo, quod in *dicto capitulo cum olim. lis.* & causa tractabatur inter eos, qui contendebant, se habere ius conferendi, & illum, cui episcopus contulerat: qua in controuersia sententia lata fuit pro eo, cui contulit episcopus beneficium ea quidem ex causa, quod canonicis non erant in possessione iuris conferendi: & subdit Romanus Pontifex, eam sententiam, cum inter alios dicta sit, non prodesse episcopo, nec nocere canonicis, quo minus super proprietate iuris conferendi aduersus episcopum possint agere, si velint ius suum in iudicium deducere, ex quibus plura sunt obseruanda ad huius quaestionis veram resolutionem.

Primum, quod dubio procul, cum his tractatur inter electum, præsentatum, vel eum, cui est collatum beneficium, & eos, qui ex contrario contendunt, se habere ius conferendi, præsentandi, vel eligendi, sententia lata in fauorem electi, præsentati, vel instituti, nocet aduersarijs omnino, quo ad illam præsentationem, electionem vel institutionem: quia ab instituto, præsentato, vel electo victi fuerunt. Hoc etenim constat in *d. c. cum olim. de caus. poss. & propriet.*

Secundum, quod ea sententia etiam his victis & condempnatis non nocebit, nec proderit, præsentanti, instituenti vel eligenti victorem quo ad causam proprietatis: quemadmodum probatur in *eod. c. cum olim.*

Tertium, imo nec quo ad ius possessionis, vel quasi si velint qui victi fuere agere interdicto vnde vi, secundum panorm. in *di. c. cum olim.* tamen si non fuerit reseruata causa possessionis à Romano Pontifice ibidem, quia consisterat episcopum fuisse & esse in quasi possessione iuris conferendi ex eo, quod eam dignitatem bis iam contulerat: acquiritur enim quasi possessio præsentandi, conferendi, vel eligendi ex vnicò actu, qui est, & fuit effectum sortitus. textus optimus (iuxta gl. of. intellectum.) in *c. consultationibus. de iure patronatus. gloss. celebris in c. si vero. eod. tit. vbi Panorm. & alij. Card. conf. 12. de iure patro. Abb. in conf. 54. lib. 1. consil. Abb. idem in cap. 1. de religio. domi. late Dec. conf. 129. & conf. 149. col. 2. Ripa in c. cum ecclesia. de caus. poss. & propriet. nume. 91. Ioannes de Milis in verb. Patronus ex vnica præsentatione. Soc. conf. 258. lib. 1. colum. 1. Alexand. conf. 74. li. 4. colum. 3. & ibi Carol. Moli. Rochus de iure patronat. in verb. compens. quaestione 14. quorum Opinio Communis est, vt fateatur eam fecutus Casar. Lamb. de iure patron. 2. libro. 1. part. 3. quaestio. princip. art. 11. idem asseuerant Ripa & pierig. alij ex præcitatis. Præsentatio vero, electio, vel*

collatio pertinet ad eum, qui est in quasi possessione horum iurium: cum sit fructus ipsius quasi possessionis, text. in *instig. in d. cap. consultationibus. de iure patron. conducit ad idem text. in cap. querelam. de electio. & in d. cap. cum ecclesia. & hoc apud omnes adeo receptum, ut plurima hinc deduci solent: potissimum quod presentatus ab eo patrono, qui est in quasi possessione, preferendus sit presentato à vero patrono interim dum nondum est sententia lata in proprietate iuris patronatus, & sic erit instituendus modo ante institutionem, & post presentationem non pronuncietur sententia in causa proprietatis aduersus possessorem: quemadmodum notant Innoc. & Abb. in d. cap. consultationibus. Rochus in d. verb. competens. questio. 19. Dec. in cons. 127. Ripa in d. cap. cum ecclesia. colum. pen. Card. omnes in d. ca. consultationibus. Panorm. in d. ca. querelam. 2. volum. Laurent. Lambert. in d. 3. q. principali. artic. 1. optime Rota in antiquis quest. 575. Dynus. in reg. 1. de reg. iur. in 6. q. 7. gloss. in prag. sanct. in d. pacificus poss. in verb. inquirant. §. ordinarij. Abb. in c. nihil col. 5. de electio. Ioann. de Selua. in tract. de beneficio. 2. parti. q. 7. & q. 12. Ex quibus duo constant, primum, quod in d. ca. cum olim. Archidiaconus ille non esset dignitate priuandus, etiamsi Canonici in causa proprietatis obtinissent aduersus episcopum sibi competere ius conferendi. Secundum, quod Romanus Pontifex noluerit referuare canonicis expressim ius quasi possessionis, quia presumpsit, eos minime acturos ad possessionem, cum ipsimet litigantibus cum Archidiacono ab episcopo instituto probata esset quasi possessio ipsius episcopi.*

Quarto est omnino obseruandum, quid respondendum foret si in specie propoſita in dicit. cap. cum olim. fuisset tractata lis non cum ipsis canonicis, qui ius conferendi contendebant habere, sed inter Archidiaconum ab episcopo, & alium à canonicis in eadem dignitate institutum, vel electum, atque pronunciatum fuisset pro instituto ab episcopo. & profecto iuxta communem opinionem, si causa esset agitata scientibus canonicis, noceret eis sententia quo ad possessionem. at vero secundum eam opinionem, quam nos nitimur defendere, nequaquam noceret eis, etiam scientibus sententiam quo ad possessionem: tamen si saluo eorum iure nihilominus sententia mandaretur executioni aduersus victum, & victori tradenda foret possessio dignitatis, aut ipse in ea defendus esset, si eam obtineret: absque villo tamen praiudicio iuris conferendi, vel eligendi, quod canonici habere contendebant etiam quo ad quasi possessionem. Et hæc quidem quantum ad prænotatam, ac propoſitam controuerſiam.

Nunc vero maxime oportet expendere quod proxime diximus: nempe sententiam latam contra electores, patronos, vel collatores super iure eligendi, presentandi, vel conferendi, nocere ipse electo, presentato, & instituto, qui sciuerit, causam super eo iure tractari. Nam etiamsi hæc sit communis opinio, falsa tamen est, nec iure probatur. Quod facillime apparebit si quis examinare velit exceptiones singulas, quæ in d. l. sepe. & in d. cap. penultim. de re iudicata. constituuntur ab illa regula: res inter alios dicta, alijs non nocet. Non enim actio, vel defensio super his iuribus primo loco competit electis, presentatis, vel institutis: imo potius electoribus, patronis, vel collatoribus, qui minime possunt impediri ab alijs, ne litem hanc persequantur. Deinde non agitur in hac lite de re, vel iure quod in alios litigantes transfulerint, cum in neminem per electionem, presentationem, aut collationem ius eligendi, presentandi, vel conferendi transfulerint. Nec huic casui commode aptari potest, etiam secundum communem intellectum text. in d. l. sepe. ver. nam. est. libertus. Quibus equidem rationibus fit non posse communem opinionem defendi ex illius exceptionibus quæ traduntur in d. c. pen. & d. l. sepe, unde hæc questio erit examinanda, & decidenda ex ipsa regula iuris, quæ docet, rem inter alios actam, alijs non nocere nec prodesse: & ideo sententia lata contra patronum, vel collatorem, vel electores super iure eligendi, conferendi vel presentandi, non nocet, nec praiudicat presentato, electo vel instituto, etiam scienti, & ignoranti litem ea de re tractari, quamvis ea sententia lata fuerit super possessione: est siquidem hic institutus electus, vel presentatus ad iudicium vocandus, & cum eo causa iterum agenda ad hunc effectum: ut eius institutio, presentatio, vel electio pronuncietur nulla, ea ratione, quod qui eum delegerit, presentauerit, vel instituerit, nec habere potestatem eligendi, presentandi, vel conferendi, nec erant tunc

in quasi possessione presentandi, eligendi, vel conferendi. Nam ubi sententia lata contra electores, institutores, vel patronos super iure eligendi, presentandi, vel conferendi, tantum concernit proprietatem nec ex ea conuenitur ipsum victum, & condemnatum non possidisse tempore collationis, electionis, vel presentationis: dubio procul minime nocet presentato, instituto vel electo, cuius titulus ex eo tantum canonicus, & iustus censetur, quod datus ei fuerit ab eo, qui erat tunc in possessione iuris eligendi conferendi vel presentandi, quemadmodum paulo ante probauimus.

Ceterum in hoc eodem tractatu illud est memoria reponendum, quod in proximo capite adnotauimus asseuerantes, tertium oppositorum, qui ad coadiuandum, & defendendum aliter ad iudicium accedit, non posse testes producere post publicationem. Etenim ea conclusio vera est, si nullo tertius hic defensor sit minor, & petat in integrum restitutionem. Nam ea petita & concessa, ubi eius interlit, litigantem principalem non vincit nec condemnari, poterit hic minor admitti post publicationem & conclusionem causæ, & litis ad producendum testes, & ad ea, quæ ipse reus principalis nec producere, nec agere possit. Quemadmodum expressim deducitur ex glo. in l. si parens. C. de iur. in verbo, ex persona. ubi Petrus à Bella Pertica idem asseuerat. meminit eundem glo. Anchar. reg. 1. que. de reg. iur. in 6. 17. q. & notat Matth. de Afflic. decisio. Nep. 15. que insignis est, & singularis, est tamen quo ad eius prænam obseruandum quod ea opinio erit recipienda quoties minor accedit ad iudicium alium defensorum ratione proprii commodi, vel praiudicij: sicuti constat in specie tradita in d. l. si parens. & fortassis hæc restitutio erit petenda iure regio intra quindecim dies à publicatione testium: quod in Madricia statutum est in vniuersum: quandoquidem restitutio in integrum non potest peti ad probandum post quindecim dies à die publicationis testium. Quod si dixeris, hoc verum esse quo ad ipsos principales, & primos litigantes: non autem quo ad tertium hunc defensorem: respondeo, secundum ea, quæ fuere in præcedenti capite adnotata, hunc defensorem admittendum esse ad allegandum ea, quæ allegare & probare omisit principalis reus, intra tamen id tempus quod à iure, vel à iudice ipsi reo datum sit, alioqui sequeretur huius causæ examen, & definitionem impediri propter tertij defensoris oppositionem. Quod falsum esse probauimus. Nec habet hic defensor maius privilegium, quam ipse reus quem conatur defendere: & quamvis ex proprio privilegio hic defensor restitendus sit: ea quidem restitutio postulanda est intra diem illam, intra quam foret à reo principali possidenda, si ipse minor esset. Pari namque cenſura, & iure sunt discernendi reus principalis, & tertius defensor: ita quidem, ut si maiores sint, lege maiorum: si minores, lege minorum iudicentur: nec minor defensor possit ea agere, quæ reus principalis etiam minor minime agere potuisset. Hæc obiter exponimus lectorem admonentes, hanc questionem diligentiori forsitan examine indigere. Quod si quis exactius distinguens, quæ diximus proximo capite aduersus Bart. & alios existimauerit, nostram hac de re sententiam tunc obtinere cum huic tertio defensori, etiam ignoranti præiudicet res inter alios acta: quemadmodum & nos palam sensimus, quasi secus sit, ubi huic tertio defensori non nocent inter alios acta: non equidem defragabimur nec recusabimus examen subire, etiã huius controuerſie: tertius defensor cui vel ignorantis, vel scientis non nocent acta inter alios, teneatur litis defensionem adsumere in eo statu, quo lis versatur tempore oppositionis, & profecto, cum hic tertius defensor ratione propria utilitatis, & commodi velit iudicium subire ad defensionem ipsius rei, vel actoris principaliter litigantis, qua ex parte defensio hæc tractatur in tutelam alterius, qui causam ab initio fuerit prosecutus, non aliter admittenda est, quam secundum ipsius litis statum: & ideo non poterit hic tertius defensor producere testes post publicationem, nec allegare post conclusionem in causa, ea quæ litigator principalis in medium proferre minime possit. Alioquin multis pateret fraudibus aditus, nec vquam lites finirentur: quibus incommodis obuiam ire constituit Roman. Pontifex in d. cap. 2. vi lite pend. libro sexto. quo in loco adeo regularis posita est definitio, ut plane & hunc casum omnino contineat. Nec quidquam in contrarium vergeat, quod sequeretur huic tertio defensori maximum præiudicium quo ad eius incommoda, quæ manifeste con-

se constant. si reus ipse, vel actor principalis victus in iudicio fuerit, ac sententia executio sit effectui tradenda: nam huic tertio defensori nihilominus saluum manebit ius appellandi ad proprijs iuris defensionem, vel impediendi executionem in hisce casibus, in quibus sibi non nocet res inter alios acta: siquidem non nocent ei acta cum principali reo, vel actore, nisi que vel ipso sciente, vel defendente in iudicio fuerint tractata ex eo quidem tempore, & statu, a quo sciverit causam agi vel defensionem adsumperit, quod in capite sequenti latius disputabitur.

Hactenus de tertio diximus oppositore, qui ad iudicium accedit, reum vel actorem defensurus, & ideo de alijs nunc erit agendum. Nam quandoque quis se offert iudicio, & litis examini petens actorem vel reum ab actione, vel defensione omnino excludi ex eo, quod ea actio, quae in iudicium deducitur in specie aduersus reum ab actore, sibi non illi competat: & idem de defensione proponens. Etenim in hac specie quoties actio, vel defensio huic tertio, non actori, nec reo competit, illi sunt a iudicio excludendi, ne id prosequantur in praedictum huius tertij, cuius prima est & principalis actio, vel defensio: quemadmodum traditur in leg. Titia, solut. matrimon. & tunc non tenetur hic tertius litem adsumere eo in statu, quo versatur, imo repetenda omnia ex integro sunt, quod Bart. Communiter receptis scribit in leg. si per laesio. ff. de appell. quo in loco admonet non posse a iudicio excludi eos, quos res ipsa, etsi non principaliter, consequenter tamen tangit, quo minus iudicium ipsum prosequantur in eorum praedictum, vel ut adstant principali eius causae actori, aut defensori. Idem in dict. leg. si suspecta. ff. de inofficio. testamen. probatur: & in leg. a sententia. & in leg. si per laesio. ff. de appell. leg. si pariter. ff. de libro caus. athen. nunc si haeres. C. de litig.

4. Quandoque tertius opponit se liti, quae inter alios tractatur, nec defensurus reum nec actorem, sed in hoc, ut contenda actione ab actore propositam non esse iustam, nec dignam, ut pro ipso feratur sententia: imo rem ab actore petita sibi dandam esse, ac tradendam, reumque condemnandum ad hoc, ut huic tertio, non actori tradat, & restituat rem petita. Huiusmodi exemplum frequentissimum est, cum Titius agit aduersus Caium actione reali ad fundum, & calite pendente Sempronius se obijcit utrique petens, Caium reu esse condemnandum ad restitutionem rei petita per Titium, ut sibi, non Titio fiat restitutio. Quaritur tandem, an haec oppositio Sempronij processum causae pendente inter Titium, & Caium impediat eo quidem pacto, ut non possit casus de iure: donec etiam ius, & dominium huius tertij examinetur? & Bald. in cap. i. §. duo. de pace tenend. & eius violator. col. 1. existimat, hanc oppositio Sempronij omnino impedire definitionem litis inter actorem, & reum. donec constet de iure huius tertij oppositoris qui non tenetur causam in eo statu adsumere, quo versabatur tempore oppositionis, & ideo, ut Bald. sentit, differenda est litis definitio donec appareat de iure Sempronij tertij oppositoris. Quia responsio Iuriconsulti in leg. si is a quo. ff. de rei vendicat. tunc tantum obtinet, cum duo reali actione diversis iudicijs eandem rem ab vno reo petunt: non pendente lite super actione reali, tertius se ipsum liti obijciat petens actorem ab ea reali actione excludendum fore, ac reu ipsum condemnandum, ut tertio huic oppositori rem petitam tradat, ac restituat: ex Innocentio qui in cap. veniens. in secundo. de test. hanc opinionem probare videtur, dum secundum intellectum explicat ad dict. leg. si is a quo. Hoc ipsum & Alexand. alleverat in additionibus ad Bart. in dicta l. si is a quo. Nos vero contrarium iure respondendum esse censemus assenerantes, tertium oppositorem, quoties non accesserit ad defendendum reum audiendum quidem esse, ita tamen, ut nullo equidem momento impediatur litis examen, & definitio inter actorem & reum quo ad ipsorum praedictum & commodum. Quam opinionem probare non dubitamus ex ipsa ratione Iuriconsulti in dict. l. si is a quo. Nam si executio minime impeditur in fauore eius, qui prius sententiam obtinuit, propter nouam alterius vendicationem eiusdem rei, eadem ferme ratione non est impedienda litis definitio ad decisionem eius iudicij, quod prius de eade re concepta fuerat. Huc etiam pertinet text. in lege pen. ff. de petit. haer. & quod notat expressim Ang. in dict. leg. si suspecta. col. 2. scribens non posse tertium, qui contendit habere ius rei vendicationis, & eo vitur, se opponere liti, & controuersie super

eadem re per alium mota, ad impediendum processum iudicij prioris, & eius definitionem: cuius sententiae auctor est Innocentius in dicto capitulo cum super. col. 3. quem sequuntur Doct. sibi praesertim Ant. numer. 4. & Bellamera num. 11: quibus accedit elegans decisio Rotae 4. in antiquiorib. titu. de iudic. cuius & Feli. meminit in d. c. cum super. num. 17. ea etenim decisum extat, non esse impediendam definitionem, neque examinationem litis, quae inter duos tractatur, ex eo quod tertius se ipsum opponat, & petat rem litigiosam sibi dari, non actori, & alleget, utrunque, actorem scilicet, & reum, nullum ad eandem rem ius habere: imo inter actorem & reum lis definienda est absque illius tertij praedictum: qui nihilominus admittendus erit ad proprii iuris probationem, absque lesione illius status, in quo causa inter actorem & reum versatur. Non obicit quod ex Innocentio traditur in d. c. veniens. nam ipse agens de intellectu Iuriconsulti in d. l. si is a quo. duas conatur ei aptare interpretationes: quarum priorem fecuti sunt ibidem Host. Ioan. Andr. Henri. Anto. num. 10. Card. vers. oppono ad idem. & Bellamera in d. c. 5. posteriorum vt incongruam omittentes: & fere fallam eam esse professi: & ex qua Bald. & Alex. deducere conati sunt propriam sententiam, quam modo nos palam improbamus: legitur, vt iam tamen agamus, constanter asserimus distinctionem hanc, vt quoties tertius accedit ad iudicium, reum vel actorem defensurus propter propriam vtilitatem admittendus sit: in eo statu, in quo causa tractatur, litem ipsam prosecuturus absque vll o praedictum ordinis inter actorem & reum hactenus seruati: at si tertius accesserit ad iudicium, non equidem defensurus actorem, nec reum, sed vel eorum alterum exclusurus ab actione, vel defensione causae, vt tandem utrunque a re petita: admitti debeat ad allegationem & probationem propriae intentionis, ita tamen, vt propter hanc oppositioem nulla in parte differatur definitio litis inter actorem, & reum quo ad eorum praedictum: praesertim vbi tempore huius oppositionis conclusum fuerit in causa, vel facta sit testium publicatio. Etenim tunc ipse admitterem tertium ad allegandum & probandum absque praedictum publicationis, conclusionis, & definitionis ipsius litis inter actorem & reum. Atque ita non semel vidi pronuciari, & pronuciari ex collegarum iudicio in hoc Regio Granateni praetorio. Quod aequitati potissime conuenit: ob frequentes has oppositioes, quae plerumque dolo & fraude fiunt, non alia ex causa, quam quod reus timens iustissimam condemnationem, die differri velit. Sed & non admodum huic nostrae opinioni extraneam probationem exhibet, imo fortassis valde conuenientem decisio. tex. in l. non idcirco. ff. de iud. Non idcirco iudicis officium impeditur, quod quidam ex tutoribus post litem aduersus omnes inchoatam, reipublica causa abesse ceperunt: cum praesentium, & eorum, qui non defenduntur administratio discerni & aestimari possit. Hactenus Iuriconsultus, ex quo apparet posse iusta ex causa litis, que cum pluribus agit, quo ad quosdam definitionem suspendi, & quo ad alios statim expediri.

CAPVT XV.

De illo, qui a Sententia lata inter alios appellat, quia eius interfit.

SUMMARI A.

1. Tertius appellans causam exponere debet, quia appellationem inanis iustificet.
2. Tertius cui sententia nocet ex propria vi, & natura potest appellare intra de cem dies a tempore scientiae.
3. Is, cui etiam ignorantur sententia inter alios lata nocet, non potest tertio provocare.
4. Venditor quando appellare possit a sententia lata contra emptorem.
5. Clausula, appellatione remota, an noceat tertio, & traditur late intellecte, super eo de offi. deleg.
6. Litigiosa res quando vere, ac proprio dicatur.
7. Sententia lata inter alios, an sit exequenda directo contra illum, in quem fit translatio rerum lite pendente.
8. Tertius, cui sententia inter alios lata nocet ratione scientiae, quando appellare possit: & an provocare valeat a sententia.
9. Tertius, an possit impedire trium sententiarum executionem ex causa nullitatis: & ibi intellectus ad clem. v. de re iud.

Alto